Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1331
Quelle:
Copyright:

tor *Kuedip.* Abinteſtatus *Ane ſele gerete.* Aucupium *Vogilwerk.* Alietus *ſtutar.* Bubo *Haw.* Sagena *Wate.* Remex *Stewir.* Ambra *Walrat.* Alota *Quappe ader alruppe.* Bos *Varre.* Hinnulus *Hindenkalp ader Junchirs.* Vervex *Rammil ader per.* Aluear *Benſtok ader bewte.* Aſilus *Weſpe, Horle, Homyl.* Bombix *Seydinſpinne.* Cynamomus *Cynnebom.* Cornum *Haynbottin.* Abglomerare *Abereyſen.* Abligurire *Laſſin ader ſturben* &c. Ad calcem: *Finitus eſt hic liber anno domini M° CCCC° II°. feria III. ante feſtum corporis chriſti. Wenc. Roſſius Preſſorovinus* multis locis *Codicem* nomine ſuo conſignavit.

CCCXLII.

208 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 223. f. partim 2. columnis, partim lineis longis exaratus ſequentia complectitur. I. Partem ſcholaſticae cujusdam Commentationis *de Origine Vitiorum*, quae incipit: *Jam vlterius proſequendo originem vitiorum ex intellectuali cognicione uel conſideracione videndum eſt nunc de ortu auaricie ex radice illa* &c. Non tamen Avaritia ſola Autori anonymo paginam facit, ſed ad Providentiam Dei, ad Sortilegia expatiatur. Sana illum ſentire, vel ex hoc loco p. 42. colligas: *Nonnulli ſe aliquid de ſpiritu prophecie habere preſumentes ut abbas Joachim et aliqui moderniores, de quibus et hodie aliqui ſunt, ſtulte et reprehenſibiliter nimis ſoliciti fuerunt de determinatione ſeculi, ita ut aduentum magni antichriſti ante finem ſex annorum uel circa complendum fatue expectent* &c. Manca eſt haec Tractatio et in haec verba definit: *Nec omnis effectus cauſarum naturalium ut ignis* — — —.

II. *fol.* 100. incipiunt Opuſcula quaedam *Nicolai de Clemangis* rectius *Clamengis Campani*, qui vir Reformationis diſciplinae Eccleſiaſticae ſtudioſiſſimus in Navarraeo *Pariſiis* Collegio poſt an. 1434. deceſſit, et primo quidem, ut fert inſcriptio: *Liber de filio prodigo per Nicolaum de Clamengijs Cantorem Baiocenſem compoſitus*, qui incipit: *Audite o penitentes ſermonem de fratre veſtro* &c. extatque poſt edit. *Pariſ.* 1521. 4. in T. VIII. Bibl. PP. Marg. de la Bigne. Pariſ. 1576. p. 599. f. et inter Autoris *Opera omnia*, quae *Lugduni Batav.* 1613. 4. edidit *Job. Martini Lydius*, p. 109. Ad hanc porro editionem et ſubſequentia exigentur.

III. *fol.* 109. p. 2. *Incipiunt Epiſtole per nicolaum de Clamengijs ſub nomine uniuerſitatis Studij pariſienſis compoſite, que prima illius fuerunt opuſcula. Prima ad karolum ſextum Regem ffrancorum de tribus vijs pro ſciſmatis* (inter Clementem VII. Benedictum XIII. et Gregorium XII.) *ſeducione per dictam vniuerſitatem memorato regi preſentatis.* Initium: *Chriſtianiſſimo ac religionis orthodoxe zelantiſſimo principi* &c. *deuota ſue celſitudinis filia vniuer-*

ſitas